



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè  
fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentiis Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701**

**VD18 90029526**

Consult. VI. De Trinitate divinarum personarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45487**

tium. Aufer omnia, mi Deus, dicebat, ex eo in semetipsam reversa, perforce opus tuum, exue me omnibus præter te; sat dives sum, consolata abundè, si solus mihi maneat superstes. Misericordias tuas in æternum cantabo, quæ reperire me fecerunt Deum in iacturâ creaturarum, quas perire fecerunt. O Felix

iactura, quæ tam ingentem consignavit mihi thesaurum! Ah! si in facultate meâ esset modò omnes possidendi facultates ac prosperitates, quibus olim in mundo affluxi, vel quibus adhuc affluere anhelavi, quàm longè minoris illas omnes penderem, quàm unicum cordis desiderium, quâ unice tua tota esse volo in tempore & æternitate.

## CONSULTATIO VI.

### De Trinitate Divinarum Personarum.

Mysterium Trinitatis deprimat doctos & elevat indoctos.

Qui dicunt, adorandum Sanctissimæ Trinitatis Mysterium non intelligi, nisi à doctis & magnâ ingenii laude præstantibus, nec agendum de argumento tam sublimi cum simplicibus, rem in contrarium omninò detorquent sensum. Verum quidem est, hoc esse ex omnibus nostris Mysteriis præcipuum, quod intellectu minus comprehendendi, verbis minus possit explicari: Sed id ipsum quoque est, quod altius extollit intellectum simplicium, magis deprimat, confundit ac humiliat mentem sapientium & doctorum. Non ipsorum est, de his loqui, cum omnia, quæ lumine scientiarum acquiratarum circa hæc intelligere possunt, nihil sint respectu eorum, quæ fides de his

docet fideles vel plurimum ignaros. Divina hæc fidei lumina, quæ descendunt de Cælo, ad illustrandas Christigenarum mentes ingenii acie minus instructas, confundunt omne robur, vim & congenitum acumen virorum sapientissimorum. Tacendum igitur sapientissimis quibusque in hoc argumento, ad addiscenda ex ignorantibus divina oracula, quæ Deus abscondit à prudentibus & sapientibus, & revelavit ea parvulis, id est, humilibus. Et tandem ad demonstrandum tibi hoc experimento magis uculento, congregemus hic viros totius mundi sapientissimos; Eligamus ex illis ingenia magis eximia, magis subtilia, magis illuminata, magis acuta, magis arguta; Accipiamus illos, qui

qui in omni scientiarum acquisitionum genere sint magis versati, latius diffusi, altius rimantes, profundius scrutantes; sintque hi centeni vel quingenteni ex cæteris omnibus præelecti, tanquam illorum peritissimi, expertissimi, spectatissimi; abs eo tamen, quod unquam fuerint aliquâ fidei divinæ tincturâ imbuti. Statuamus, collocemus in celebris hujus concionis medio unicum Christianum non aliâ instructum litteraturâ, nisi illâ, quâ fuerit ornatus à fide, vi cuius saltem discurrere possit de fidei ac Religionis suæ Mysteriis: insuper autem spiritu humilitatis munitum, uti olim fuerat *Christus FESUS*, duodecim infans annorum, inventus in templo, in medio doctorum, illos audiens & interrogans: Et videamus, an aliquis ipsorum, vel omnes simul, intelligere aut capere poterint unicam solam earum, quas his proponet illis, stupenda-

rum veritatum, quin potius in stuporem harum auditione sint rapiendi: videamus, an futurum non sit, ut sibi incomprehensibilia addiscant ab illo oracula, quibus intellectus ipsorum adeo extollatur in altum super omnes Cognitiones humanas, ut si centum annis Scholarum suarum frequentassent limina, tanta scientiarum lumina acquirere nunquam potuissent.

Hoc Experimentum, quod plurimum nobis inserviet ad explananda satis clarè pulcherrima Mysterii Sanctissimæ Trinitatis arcana, non minus acceptum, quàm utile nobis erit ad demonstrandum nobis obligationes innumeras, quibus obstringimur Deo, quod dederit nobis fidem, quâ privati cœcutiremus circa splendidissimas æternitatis veritates, & quâ imbuti legimus ac evolvimus intima, quæ in corde Dei inclusa sunt, secreta & arcana.

## ARGUMENTUM.

1. *Deus Pater est à seipso, Filius est à Patre, Spiritus Sanctus est à Patre & Filio.*

### ARTICULUS I.

Initium dicendi fecit Christianus, proponendo adunatis hisce sapientibus viris, stupenda illa Sancti *Augustini* verba, ex

2. *Tres Personæ novæ sunt, nisi unus Deus.*

meditationibus ipsius deprompta: *Deus est Ens à se, Ens ab Altero, Ens ab utroque.* Deus, quem adoro, est ens simplicissimum, æternum & invariable; Sed est ens à seipso, est ens ab alio,

Omnes mundi doctores absque fide, sunt discipuli aliquis Christiani.

alio, & est ens ab utroque? Intelligitis me bene? Nesciunt, quid dicere velit, sese invicem aspiciunt, apud seipos riman- tur & ruminantur, ut captu quid assequantur, sed quanto magis cogitando laborant, tan- to minus capiendo, magis igno- rant. Videbatur ipsis hæc pro- positio inepta, insulsa, impossi- bilis. Quæ contradictio est to- ta? Si est ens à seipso, quomo- dō est ab alio? Et si Ens ab alio, quomodo est ab utroque? quis non videat contradictionem ma- nifestam, adeoque absolute hoc esse impossibile?

Quomodo  
Deus sit  
Ens à seip-  
so, Ens ab  
alio, & Ens  
ab utro-  
que.

An igitur hoc captum ve- strum transcendunt, virorum sa- pientissimi; nec comprehende- re hæc potestis omni vestra sci- entiarum humanarum littera- turâ? Audite me, inquebat ad ipsos Christianus & docebo vos, quod à Cœlo edoctus sum, quod- que me fides velut magnus ab immenso illo luminum æternor- um fonte dimanans radius, hæc super re edocuit. Deus est Ens absolutum, æternum, & in- dependens; est purus actus & est Ens necessarium, quod non ac- cepit esse ab alio, vel se senio- re vel potentiore, cum æternus sit ac independens. Est igitur Ens à seipso. Verum hic Deus fecundus est, qui similem sibi producit è propria sua substan- tiâ: quoniam producit, est Pa-

ter; Et quoniam is, quem pro- ducit, est ex propria ipsius sub- stantiâ est hic ipse Filius. Pa- ter & Filius sunt duæ personæ realiter distinctæ, cum impossi- bile sit, producentem & pro- ductum, eandem esse perso- nam. Sed quamvis duæ sint per- sonæ, non tamen esse possunt nisi solus & unicus Deus, cum duos esse Deos sit impossibile. Verum igitur est, Deum, quan- tum est Pater, esse Ens à seipso, quia esse suum accepit ab alio; Eundemque, in quantum est Fi- lius, Ens esse ab alio, cum esse suum acceperit à Patre.

Ambo tandem, Pater & Fili- us (duæ personæ, quæ non sunt nisi unus Deus) producant ali- quam tertiam sibi æqualem, & eundem secum Deum; siquidem, cum ambo se videant infinito modo perfectos, & infinito mo- do amabiles, impossibile est, quin infinito modo se invi- cem ament; producant ergo a- morem infinitum, in omnibus Bonitati, quam amant, æqua- lem, quem amorem necesse est esse Deum, cum sit ens infinito modo perfectum; sed alius non potest esse Deus, nisi ille, qui est Pater & Filius, à quibus pro- ducitur, cum impossibile sit plu- res uno esse Deos. Nihilominus procedit ab utroque; velut ab uno solo Principio, cum ambo non habeant, nisi unicam volunta- tem,

tem, quæ amet, & unicam tantum Bonitatem, quam ament; Et ideo verum est, Deum esse Ens ab utroque. An benè capitis hæc Myſteria?

Objectio  
Philoso-  
phorum  
contra Tri-  
nitatem.

Non ajunt Philosophi: non ita in nostris philosophamur Scholis, & cuncta, quæ asseveras, conformiter nostris principiis, videntur nobis impossibilia. Dicere, quod Deus producat, vel generet sibi similem; dedecere videtur summam Dei puritatem; generatio & corruptio imperfectiones sunt creaturarum, quæ in Deo inveniri non possunt, cum ipse sit ens infinito modo perfectum; & iterum, si verum est, quod producat alium sibi similem, multiplicat se; & tamen tu dicis non esse nisi solum & unicum Deum, quod manifestè sibi contradicit. Adhæc dicere, aliquod Ens, quod non est à se ipso, sed quod esse suum accipit ab alio, existere Deum, est impossibile: nam quidquid est ab alio, necessariam dependentiam habet à causâ se producente; & quidquid dependentiam habet, non potest esse Deus, cum Deus debeat esse primum & supremum omnium Entium. Hæc effata, pronuntiata ac placita inter sapientes nullum prorsus inveniunt ambigendi locum.

Generatio  
Filii Dei  
est spiri-  
tualis.

Oportet ergò, reposuit Christianus, ut magis me explicem, cœlique vera lumina à fide no-

bis communicata, obnubilent, ac tenebris obvolvant terræ lumina, quæ non nisi ex scientiis haurimus naturalibus. Vestræ cogitationes nimis abjectæ, nimisque viles sunt de æternâ Filii Dei generatione, dum dicitis, illam dedecere puritatem. Deus non est corpus, & divina ipsius generatio non est corporea; aliàs esset ens materiale & imperfectissimum. Ipse est purus Spiritus, & generatio ipsius est tota spiritualis, abs eo, quod habeat materiale quid, vel impurum. Quando Spiritus cognoscit, eâ ferè ratione, quâ vos Philosophos quotidiana in studiis vestris docet experientia: quando concipitis aliquam veritatem in intellectu vestro, formatis aliquam ejusdem idæam, sive imaginem intellectualem vobis illam representantem, quam vocatis *Verbum mentis*. Hæc conceptio vel generatio spiritualis, tota pura est & Virginea, nec indigna nobilitate alicujus Spiritus, quemadmodum vos ipsi non abnueris.

Dicebam vobis, rem ferè sic habere; sed ratione infinito modo sublimiori Deus concipit & generat verbum suum Filium nempe suum Unigenitum in se ipso: nam ipse purus est Spiritus. Et quoniam ens est infinitum, est Spiritus infinitus, adeoque est infinito modo intellecti-

R  
vus,

vus, id est, extendit cognitionem suam in infinitum, ad omne, quod est cognoscibile: Cognoscit namque perfectè semetipsum, Essentiam suam divinam, aternitatem suam, immensitatem suam, omnipotentiam suam; Adhæc clarè intuetur omnem infinitudinem operum, quæ extra seipsum potest producere. Hæc omnia cum cognoscat simplici intuitu intellectûs sui divini, format exinde imaginem perfectissimè sibi repræsentaltem omne id, quod cognoscit, quam necesse est ipsi æqualem esse in omnibus, nec in aliquo differre ab ipso; sed perfectissimè exprimere debet divinam ipsius Essentiam, ipsius aternitatem, ipsius immensitatem, ipsius Omnipotentiam, & deniq; omnia, quæ cognoscit. Necesse est igitur, ut perfecta hæc imago sit substantia sicut ipse, sitque Deus sicut ipse, cum nihil sit in uno, quod non sit in altero. An fingere quis possit aliquam indecentiam, vel quandam impuritatem in admirabili hæc generatione? Nonne tota sit virginea? Tota resplendens gloriâ & Majestate? Sic ipsemet loquens ad filium suum in raptu quodam aternæ complacentiæ, quam pariebat speciosæ hujus imaginis aspectus, dicebat ipsi. *In splendoribus Sanctorum, ex Utero ante Luciferum genui te.*

Psal. 109.

Sed unde persuasus, O Christiane, reponit Philosophus, nobis dicere prætendis, imaginem hanc à Cognitione intellectûs Dei productam esse Filium Dei, Deumque esse, sicut est Pater ipse? Nam quantum sapio, quantum capio, non est nisi cogitatio intellectûs DEI. Quis unquam dicere est ausus, Cogitationem intellectûs hominis, esse hominem, vel ipsum generasse hominem in capite suo, quando in eo aliquam formavit cogitationem? Homo est substantia solida & permanens; Cogitatio ipsius non est, nisi yagum, mobile, ac mutabile accidens. Adhæc foret quid insolitum, quid peregrinum, si aliquis intellectus non haberet nisi unicum solam cogitationem: quantum illi tormentum, quantum cruciatus, si cogeretur continuo eadem de re cogitare? Experiencia docemur, intellectum, quanto major & acrior est, tanto magis se extendere, tanto magis vigere; adeoque magis fecundum esse ad producendas infinitas Cogitationes diversas & abs numero multiplicatas. Ex hoc ergo necessario deducitur, Deum, qui in robore ac amplitudine sua infinitus est intellectus, innumeras ac infinitas abs ullâ metâ aut limite producere cogitationes. Ah! quam humilis, abjecta, humique repens tua est Philosophia,

Aliæ objectiones Philosophorum contra Trinitatem.

sophia, respondit Christianus! Nunquid aliter judicandum de intellectu Dei, aliter de intellectu hominum? Quis hominum æqualis sit Deo? Quid homo sit respectu Dei? longè minor est, quàm atomus respectu totius universi. Verum quidem est, intellectum humanum, qui nunquam non magnæ est imbecillitatis, non producere posse, nisi cogitationes mobiles, inconstantes, imperfectas, quæ non sint nisi accidentia exiguæ durationis, sicut is ipse, quem produxit, non est nisi accidens. Sed intellectus Dei, qui est propria ipsius substantia, cum infiniti sit roboris, concipit & producit substantiam, qualis est ipse. Et quia producit sibi similem in substantiâ, hinc ille, qui producit, est verè ipsius Filius. Hæc est prærogativa intellectus Dei, cui nullatenus competunt imbecillitates intellectus humani; & inde est, quod dicit: *Non enim Cogitationes mea, Cogitationes vestra, neque via vestra, via mea.*

Verum quoq; est, intellectum hominis valde multiplicare cogitationes suas; sed id est, quod valde limitatus sit & magnopere ignarus à seipso. Parvitas ipsius prohibet, ne unico solo ac simplici intuitu concipere possit, quidquid est cognoscibile, cum hoc in infinitum procedat.

Necessario ergo multiplicandæ sunt ipsi summopere cogitationes suæ, sicque adnitendum ipsi, ut paulatim & successivè in rerum notitiam deveniat, cognoscendo unam post alteram. Et ignorantia ipsius obstaculo est, ne statim ab initio aliquam rem perfectè cognoscere possit, idè sæpius applicare se debet & adniti, ut cognitionem assequatur; & omni adhibitâ contentione non eò pertinet, ut quidquid est cognoscibile, cognoscat in illâ. Sed intellectus Dei infinitæ est latitudinis & infinitæ Claritatis: Ex eo, quod infinitæ sit latitudinis, cognoscit illicò omnem infinitudinem rerum cognoscibilium intra se & extra se; non opus est illi, nisi unico simplicissimo intuitu intellectus, qui, cum infinitus sit, multiplicari non potest, cum unum solum infinitum omnia comprehendat. Una igitur duntaxat est, redundatque in gloriam intellectus Dei, quod non nisi unicam habeat cogitationem. Et quia adorandus hic intellectus infinitæ est claritatis, cognoscit mox & illicò profundissimas Veritates, in eo, quod cognoscit, inclusas; unde est, quod non sæpius adnitatur & contendat in rerum cognitione facere progressum; sed unicâ mox se exhaurit cogitatione, quæ magnitudine suâ ipsum ad-

R 2 æquat

Cogitatio  
Dei est  
Substantia.

Ida, 55.

Deus non  
habet nisi  
unicam  
cogitatio-  
nem.

æquat intellectum. Ingens hæc cogitatio repræsentat ipsi omnia, quæ cognoscit; in hæc videt seipsum, velut in perfectâ sui imagine; Et imago hæc, quam producit ex propriâ suâ substantiâ, est Filius ipsius Unigenitus.

Intellectus  
Dei est fecundus &  
sterilis.

O adorande intellectus DEI mei, quàm es incomprehensibilis! An dicam, fecundum te esse? An verò dicam, te esse sterilem? videris mihi esse utrumque. Non potes habere, nisi unicam solam cogitationem; non potes formare, nisi unicam solam conceptionem in temetipso, nec generare nisi unicam tantum vice: An esse quid possit sterilius? Sed hæc Cogitatio est infinita, hæc Conceptio est immensa, hæc generatio est æterna, & semper actualis; nunquam inceptit & nunquam desinit: An excogitari quid possit fecundius? Hæc ita te penitus exhaurit, ut impossibile tibi sit aliam producere secundam; & nihilominus ita manes inexhaustus, ut impossibile tibi sit vel unico momento ab illius productione cessare in æternum. O sterilitas admirabilis, quæ eò te redigit, ut habere non possis nisi unicam & simplicissimam Cogitationem, hæcque sola exhauriat omnem infinitam virtutem Omnipotentis DEI! Sed stupenda fecunditas, quod unica hæc co-

gitatio æternus & Omnipotens sit Deus!

Ah! Intellectus humane, quid etiam intellectus respectu intellectus Dei? Verum est, fecundum te esse ac noster fecundus est ac sterilis, sed modo planè opposito, quo Deus est: fecundus ad sed modo producendas infinitas cogitationes frivolas ac inutiles; fecundus ad implicandum te plurimis vanis ac insanis imaginatio- nibus; fecundus ad agglomerandas & coacervandas abs numero molestas curas ac sollicitudines, quæ nec pacem tibi relinquunt nec requiem: sed sterilis respectu Dei, de quo formare vix potes unicam duntaxat bonam cogitationem, hæc si semel conceperis, ipsam conservandi deficit facultas; si autem conservare quandoque contendas, tormentum tibi ipsi adsciscis & quasi te constringis ergastulo. Ut quid, O mi Deus, tanta me inter & te contrarietas? Ah! quousq; relinques me in miserâ captivitate intellectus mei, qui tantâ perfunditur voluptate effundendi se in omnes alias cogitationes, quàm de te, & nullo nisi de te cogitandi afficitur tædio? Ah! quantum discrimen inter statum Beatorum in cælo, & nostrum infelicitium mortalium adhuc reptantium super terram! Ii si non habent, nisi simplicem quandam Cogitationem de Deo, quam ineffabili cum voluptate in omnem



nem conservant aternitatem, & in quâ immortalem ac aternam suam inveniunt vitam; in quo etiam ipsorum consistit beatitudo: Et nos econtrâ in continuâ quasi vivimus oblivione Dei, nunquam non intellectum occupatum habentes innumeris vanis Cogitationibus? Et hoc est, quod miseros nos reddat ac infelices.

Hæc vos non capitis, Philosophi, nec ij omnes, qui non nisi naturalibus scientiis fuerint instructi, capient unquam. Anima divino fidei lumine illustrata, & verè à Spiritu DEI occupata, non se occupat, nisi occupationibus ipsius Dei. Contemplatur ipsa pulchritudinem magni illius ac aterni splendoris, è quo nasci videt lumen infinitum de lumine infinito, dum producentem vi-

det, Patrem, Filium suum Unigenitum in splendoribus Sanctorum. Intuitus hic ipsam allicit ac voluptate afficit, dum aspicit, hanc solam esse Cogitationem, quæ occupare deberet intellectum eo solùm nomine creatum, ut abs sine contempletur Deum; omnes alias Cogitationes in tunda velut crepundia ac nugas pueriles. Ubi econtrâ illi, qui non nisi Spiritus humani sequuntur lumina, nihil ex his omnibus capiunt; sed potius credunt, jacturam esse temporis, & inutilem sui ipsius torturam, distineri cogitatione de Deo. O infelix intellectus humane! quàm spissæ, dum tibi ipsi relinquæris, obvolvunt te tenebræ! Fatemini O Philosophi, magnas hæc veritates transcendere omnem captum vestrum, & omnem scientiarum vestrarum effugere notitiam.

## ARGUMENTUM.

1. *Tres Persona divina non sunt distincta ab Essentiâ Dei, quod facit, ut unum & tria non sint, nisi unum.*

### ARTICULUS II.

**V**ideamus, an melius intelligatis aliud hoc prodigium, prosequitur Christianus. Deus, quem adoro, est unicus, & tamen non est solus: Est totus col-

2. *Plura alia prodigia, quæ fides nos docet circa ineffabile hoc Mystrium.*

lectus in seipso, in altissimâ solitudine; sed optimo stipatus comitatu. Adoro tres Personas, quarum quælibet est Deus, sed non agnosco, nisi unum solum Deum, ita ut tria & unum non faciant nisi unum; Et unum ad-

R 3. *junctum*

Prodigia  
incompre-  
hensibilia  
Trinitatis.

unctum tribus non faciat quatuor, sed maneat unum. An probe intelligitis hæc Mysteria? Mil- lenis studete annis, rimamini omnia scientiarum vestrarum ar- cana, ad assequendam horum æ- nigmatum intelligentiam, eò tamen non pertingetis.

Expertissimus quidam prodiit  
 Obiectio. Mathematicus, qui magnoperè  
 nes Philo- confisus regulis suæ Arithmeti-  
 sophorum, ces, gloriosius jactabat hæc su-  
 per re demonstrationes tam lu-  
 culentus ac manifestas se factu-  
 rum, quibus nullus contraire,  
 nemo refragari posset. Dicebat  
 is quasi aliquantisper impatiens:  
 quâ ratione propugnabis & de-  
 fendes rem omnibus scientiæ  
 principiis ita contrariam, quin  
 & sanæ menti omninò adver-  
 sam? quis ignorat, Unitatem  
 non facere numerum, & nume-  
 rum absolutè destruere & an-  
 nullare unitatem? Esse unum &  
 tria, est esse unum, & non est  
 esse unum: Intercedit hæc ergò  
 contradictio planè manifesta.  
 Adjungere unum tribus & non  
 facere quatuor, est contra essen-  
 tiam numeri & contra experien-  
 tiam sensuum nostrorum. Dice-  
 re, quod numerus singularis fiat  
 pluralis, abs eo, quod major sit  
 numerus, vel quod numerus  
 pluralis fiat singularis, abs eo,  
 quod numerus sit minor, est di-  
 cere, diem non esse in plenâ me-  
 ridie: Sicut dicere, quod aliquis  
 sit unicus & non sit solus, quòd

aliquis sit solus, sitque simul cum  
 sodalibus; hæc omnes contradi-  
 ctiones sunt absolutè impossi-  
 biles. An opus sit exhibere tibi  
 demonstrationem magis pal-  
 pabilem; Inscribe tres notas A-  
 rithmeticas papyro, easque tibi  
 porrigo, ut ipsemet numeres:  
 Andices, has non esse tres? ad-  
 jungo illis adhuc aliam, an dices,  
 has non esse quatuor?

An sistit in hoc tota tua scien-  
 tia, reponit Christianus? Ah!  
 quàm longè sublimiora me fides  
 edocet? Nam hæc me docet, in  
 adorando *Trinitatis* Mysterio,  
 non esse nisi unam solam Essen-  
 tiam, vel unam solam naturam  
 Divinam, sicut non est, nisi unus  
 solus Deus; Sed hanc solam ado-  
 randam Essentiam, esse totam  
 integràm, absque divisione, abs-  
 que ullâ separatione, & absque  
 ullâ multiplicatione in quâlibet  
 divinarum trium personarum,  
*Patre, Filio, & Spiritu Sancto*. Sic  
 omnes tres sunt Deus, quia omnes  
 habent divinam naturam, & quæ-  
 libet ex tribus est Deus, quia æquè  
 habet divinitatem, sicut duæ,  
 aliæ; Sed omnes tres non sunt  
 nisi unus Deus, quia omnes tres  
 non habent nisi unam divinita-  
 tem. Verum igitur est, quod  
 tria sint unum, id est, quod  
 tres Divinæ Personæ sint unus  
 Deus; Verum quòque est, quod  
 unum sit tria, id est unus Deus,  
 tres divinæ Personæ. Similitèr  
 non aberrat à vero, quod unum  
 adjectum

Quando  
 unitas Dei  
 stare possit  
 cum Trin-  
 itate divi-  
 narum Per-  
 sonarum.

Nu-  
 abs-  
 unum

Deo  
 fides

adfectum tribus non faciat quatuor, sed solummodo unum, id est, quod Essentia Dei cum tribus divinis personis non constituat res quatuor, sed rem unam simplicissimam, quæ est unus solus Deus. Verum ergo denique est, ipsum esse unicum, eò quod non sit nisi unicus solus Deus; sed cum solus sit, non esse solitari-um, Eò quod in seipso fruatur dulcissimâ & æternâ societate trium divinarum Personarum adorandæ Trinitatis.

Fateor oracula hæc esse divina, adeò omnem hominum captum excedentia, ut omnis vis ac virtus, omnia intellectus humani tum lumina tum acumina, eò nunquam extolli aut condescendere potuissent. Necessè erat descendere illa à Patre *luminum*, & à Cœlis terræ manifestari, quæ hodie dum adhuc in admirationem rapiunt sapientissimos quòque, abs eo, quòd vel rimando capere, vel altius scrutando comprehendere possint. Sanctus *Bernardus* illuminatissimorum & sapientissimorum Ecclesiæ Doctorum numero meritò aggregandus, totus extra se consideratione prodigiorum istorum raptus; in sequens effatum suum solvit os & Calamum: *Quid sibi vult iste (ut ita loquar) absque numero numerus? Si Trias, quomodo non Numerus? Si unum, ubi Nume-*

*rus? Quis Numerum neget? Nam verè Tres sunt. Quis numeret tamen? Nam verè unum sunt.*

O Deus summæ Majestatis, quàm admirabilis es in magno hoc Mystério! Quàmque procul abest intellectus humani infirmitas ac vilitas à comprehendendis cunctis mirabilibus tuis! sed exulto O mi Deus, & gaudio diffluere sentio totum cor meum, ex eo, quòd tam magnus, tamque admirabilis sis Deus, quòdque infinitas sinu tuo constringas perfectiones, quæ nulli, nisi tibi sunt comprehensibiles. Ah! si non esses, nisi quòd imbecillitas intellectus nostri humani capere posset, non esses Deus, cum infinitus non esses. Non desidero vos intelligere nec comprehendere clarè, O divina oracula, sed firmiter vos credere desidero. Imò cæco modo vobis assentior, vos amplector obfirmans oculos, ut credam vos, abs eo, quòd vos videam, vel quidquam infinitæ vestræ magnitudinis mente complectar. Sed veniet dies, olim vos mihi revelaturus, ut clarè videam, palam intuear, æternum admirer cuncta illa prodigia, quæ raptu nunquam intermissò intellectum ipsius Dei tenent suspensum. Ah! quando auspiciatum illud illucescet momentum, quòd mea nunquam non anhelant, vota ac colunt suspiria! *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini.*

Christ.

Numerus  
absque  
numero.

imdo  
s Dei  
possit  
Trinit  
divi-  
n Per-  
um.

De Con.  
sider. lib. 5.

Alia prodigia incomprehensibilia sanctissima Trinitatis.

Christianus videns, omnes illos sapientes viros, qui sibi loquenti præbebant aures, alto detentis silentio, haud obscuro admirationis suæ indice, nec non turbatarum cogitationum involutos labyrintho, quo suam detegere & fateri videbantur ignorantiam respectu tot tantorumque arcanorum cœlestium, quæ sola nobis revelat fides, pergebat ex illis sciscitari, illisque explanare majora adhuc prodigia. Omnes vestræ scientiæ, aiebat illis, an unquam vobis fecere mentionem de aliquâ omnipotentia, quæ nihil omnino potest, ubi est, potest autem & facit omnia quæ vult, ubi non est; & de aliâ omnipotentia adhuc sublimiori omnipotentia illa, quæ producit res infinitas, abs eo, quod producere quidquam possit, ubi producit omnia, & quæ cum sit suprema, non habeat aliquam jurisdictionem? An audistis unquam de absolutâ quâdam Auctoritate, quæ tamen omni superioritate careat? An intelligitis, quibus legibus filius, qui esse suum & omnia, quæ possidet, habet à Patre suo, ipsi nihil ex omnibus debeat; aliquis filius, qui nihil esset absque patre suo, ipsius tamen non indigeat, aliquis filius, qui infinito modo amet Patrem suum & omnes ipsius faciat voluntates, ipsi tamen nunquam obediat; ali-

quis Filius; qui respiciendo Patrem velut illum, qui super se Auctoritatem habeat, nullam tamen vel minimam ipsi exhibeat reverentiam: an omnia hæc approbahitis velut æquitati & rectæ rationi consentanea?

Et quomodo, dicebat desuper perperitissimus Juris-Consultus, discursum ipsius interpellando: Est hic, quem adoras, Deus, uti omnia plena sunt confusione ac perturbatione? Quid rei omnipotentia sine potentia; Auctoritas & summa potestas, neminem habens sibi subiectum; filius omnia habens à Patre, qui se tamen illi in nullo obligatum agnoscat, nihil illi debeat, tantæ est ingratitude; filius absque veneratione, absque submissione, absque obedientia? Si omnia hæc sunt legibus consentanea, taceat legum omnium vox publica, quæ mandant honorari illos, qui legitimum habent jus ac potestatem in alios; insuper illos, qui ipsi debitam subiectionem & obedientiam subtraxerint, fraudis capitalis & gravis in dominum noxæ reos declarant. Sed quis magis obligatus est Patri, quam proprius ipsius filius? Nonne natura ipsa nasci hunc fecit subditum illius naturalem, nolens ullâ ratione dispensare in debita erga ipsû veneratione ac obedientia, abs violatione juris naturalis, quo sanctius & sacratius toto non viget

Obiectio- nes aliz Philo- phorum contra Tri- nitatem,

Mir- om- tent- duc- crea

regit mundo. Quâ ratione igitur ea, quæ dicis, detorquere poteris in sensum rationi congruum?

Verum est, Respondet Christianus, loqueris hæc super re velut vir prudens, verum prudentiâ tantummodò humanâ, propugnâs quidem justitiâ, sed justitiâ hæc est solummodò naturalis. Si fides referâset tibi, sicuti nobis, scientiâ & infinitâ sapientiâ DEI thesauros, tûque perspectas haberes leges justitiâ admirabilis, quæ observatur intus in Deo, fatereris dubio procul, scientiam tuam induxisse te ad loquendum more hominis; Christianum autem divino lumine illustratum loqui velut Deum. Vis nôsse, quâ ratione Principia fidei nobis mirabiliter detegant & explicent abstrusas hasce veritates, quæ tam implicatæ nobis videntur? Audire placeat quatuor altissimæ doctrinæ puncta, quæ fides nobis consignat.

Mirabilia  
omnipotentis  
producentis  
creaturas,

1. Ipsa nos docet, esse aliquam omnipotentiam in Deo, clarè à nobis cognitam in effectibus suis, omnibus nempe creaturis. Sed hæc potentia nihil producere potest, ubi est, scilicet intus in Deo: hæc namque non est, quæ producit Filium aut Spiritum Sanctum: Ipsa non operatur, nisi circa nihilum, & nil producit aliud, nisi creaturas. Sed

virtus ipsius tam est admirabilis, quando sese extendit super vastas illas nihili abyssos, ut educat & extrahat inde, quidquid sibi placuerit. Sanctus Job admirabatur opera pulcherrima ab Architecto ingentis hujus universi fabrefacta, dum dicit:

*Qui facit Magna & Mirabilia, Job. cap. 5.  
& inscrutabilia absque Numero.*

Sed omnipotentia, quæ hic operatur, hæc omnia facit & perficit supra nihilum, ubi ipsa non est: siquidem in propriâ Dei Essentiâ, ubi est, nihil producere potest, cum nihil ibi producat, nisi *Filius & Spiritus Sanctus*, qui non sunt opera hujus Omnipotentia, trahentis entia creata è sinu nihili, aliâs ipsi Creaturæ essent, & non Deus; sed sunt opera exquisitissima alterius Omnipotentia longè sublimioris, de quâ mox sermo erit. Ecce cur dixerim, omnipotentiam esse, quæ nihil facere possit, ubi est, Nempe intus in Deo, sed quæ facere possit omnia, ubi non est, nimirum in nihilo.

2. Ulterius nos fides docet, Prodigia  
omnipotentis  
producentis  
Personas  
divinas,  
nobisque detegit in Deo aliam Omnipotentiam longè majorem ac sublimiorem Omnipentiâ, quæ creavit Universum. Theologi hanc nominant *Potentiam Notionalem*; Cui soli convenit producere intus in Deo duas Divinas Personas, *Filium & Spiritum*

*Spiritum Sanctum* : Et hoc totum est, quod facere potest, cum infinita ipsius virtus exhaustam se inveniatur, & totam abs ulla exceptione occupatam solis hisce duabus productionibus divinis, abs eo, quod facere quid possit aliud, five intra, five extra Deum. Et quod prorsus admirabile est, non potuit illas producere, antequam actualiter illas produceret, cum ipsa nunquam fuerint in sola potentia, sed semper in actu ab æternitate, nullumque fuit instans, quo dici potuerit: potentia nationalis, quæ est in Deo, producere potest duas divinas Personas, sed nondum illas producit. Et ideo dixi (quod tibi adeo contradictorium videtur) admirabilem hanc potentiam infinito modo agere & operari intus in Deo, nihil tamen operari posse, ubi operatur omnia.

Comparatio duarum harum potentiarum,

Jam conferre placeat duas hasce stupendas inter se potentias. Potentiam, quæ creavit universum, cum potentia Notionali; ambæ sunt incomprehensibiles: Sed una operatur omnia extra Deum, & hæc est omnipotentia; altera operatur omnia intra Deum, & hæc est potentia Notionalis. Hæc terminatur duabus solis productionibus *Filii & Spiritus Sancti*, quibus omnis ipsius infinita virtus ita prorsus invenitur exhausta, ut

impossibile sit ipsi, quidquam aliud producere unquam. Altera terminatur multitudine creaturarum, quarum numerus non est limitatus; hæc nunquam exhauritur, quia nunquam tot producit creaturas, quin semper plures & plures possit producere. Et tamen verum est, quod omnia, quæ producere potest, quamvis omnibus momentis per totius alicujus sæculi decursum, novos produceret mundos, nihil sint, nisi tenuissimus vapor, vel umbra levissima, si comparentur cum duobus hisce adorandis operibus potentia nationalis; *Filio* nimirum & *Spiritui Sancto*. O Amantissime Deus, quantæ igitur sint excellentiæ duo hæc exquisitissima æternitatis opera, cum illorum intuitu tot millena & iterum iterumque millena centena millia pulcherrimarum creaturarum minoris minimo sint atomo? Nonne rapiatur & totus absorbeatur animus in admirandâ magnitudine tam potentis Dei? Si conspecta & mente revoluta pulchritudo mundi visibilis mirè attollit animum considerantem ejusdem divitias, amplitudinem ac Majestatem; & si aspectus hic quoque excitet in corde intuentis affectus reverentiæ & amoris erga auctorem, tamque speciosi operis artificem, quid ergo erit, quando videbimus nudè ac aperte alia

tè alia opera infinito modo magis stupenda potentia notionalis, quæ omnia dum contineantur in Deo, contentant Deum ipsum, & totam ipsius felicitatem constituunt in omnem æternitatem.

Desiderium  
anima vi-  
dendi san-  
ctissimam  
Trinitatem,

Ah! quam cætera omnia in comparatione despicabilia sunt ac vilia! Nihil est, quod contentare possit animam extra Deum, recepto semel vel minimo radio luminis cœlestis, quo detegantur ipsi vel modicum pulchritudines in Deo absconditæ ac inclusæ. Nil magis allicit ipsius studia; nil magis acuit ipsius nota, quam spes videndi aliquando prorsus detectas venustates ineffabiles, quas completitur in sinu Deus, languet præ radio super terram, omnia ipsi displicent, omnia fastidium pariunt ipsi in hoc exilio. Ah! quoadusque abscondes nobis faciem tuam, o Pulchritudo infinita? An longo adhuc tempore negabitur facultas aspiciendi eum, quem amo, cuiusq; cor meum tam ardenti exæstuat charitate? Sed an putas hæc forte aliquando felicitandam, O anima mea, quæ videre tibi liceat splendores fulgidissimos immensæ hujus lucis divinæ? Imò, sperandum id tibi est & expectandum; ipse tibi promisit, & nil aliud exigit à te, nisi ut ipsum ames ex toto corde tuo,

nec non fideliter ipsius custodias legem.

3. Ecce nunc tertium prodigium, quod fides cognoscendum nobis exhibet in Deo. Summa est Auctoritas ac potestas primæ personæ super duas alias, & secundæ super tertiam, quæ tamen nullam illis tribuit superioritatem. Siquidem verum est, quod Pater æternus habeat Auctoritatem originis & Auctoritatem quidem summam super unigenitum *Filium* suum, Eo quod ipsi tribuat totum, quod possidet, Esse divinum, omnemque potestatem habeat mittendi ipsum nobis in terram pro salute nostrâ. Verum quòque est, Patrem & Filium habere Auctoritatem Originis & Auctoritatem quidem summam super Spiritum Sanctum, Eo quod producant ipsum ex sua substantiâ, habeantque plenum jus ipsum nobis Donandi. Sed mirabile est, hanc summam Auctoritatem, nullam prorsus ipsis dare superioritatem: nam omnis superioritas necessario post se trahit in æqualitatem; Oportet, qui superior est, esse majorem, & qui inferior est, esse minorem. Et quomodò admitti posset aliqua superioritas vel minima in æqualitas inter has divinas Personas, cum omnes non habeant nisi unam essentiam, unam potentiam, unam æternitatem, & omnes demum non sint, nisi

lib. 9. de  
Trinit,

una eademque res? Sanctus Hilarius paucis verbis multa egregiè dicit: *Donantis Auctoritate Pater Major est; Sed minor non est Filius, cui unum Esse donatur.* Pater quidem major est Filio, Auctoritate Originis, sed Filius non est minor Patre suæ dignitate Essentiæ; Cum ambo non nisi unicam habeant essentiam; unam eandemque Divinitatem. Hinc est, quod Pater non sit superior Filio, & Filius non sit inferior Patre; hinc verum quòq; est, quòd non debeat nec reverentiam nec obedientiam Divino Patri suo; & licet omnes ipsius faciat voluntates, cum ambo non nisi unam eandemque voluntatem habeant, nihilominus tamen ipsi nunquam obediunt.

Filius accipit omnia à suo Patre, & nihil illi debet.

4. Ultimum denique prodigiorum, quæ fides nos docet circa ineffabile hoc Mysterium, est, quod filius ita omne esse suum recipiat à Patre, ut nihil omnino habeat, quod non acceperit ab ipso; & tamen nihil prorsus illi debeat. Si per impossibile Pater non esset Principium Filii, & is non semper actualiter produceret ipsum, Filius non esset, & tamen dici non potest, quod ipsius indigeat; nam qui dicit indigentiam, dicit defectum; Et si defectus esset in Deo, Deus non esset. Et qui dicit obligationem ac debitum, dicit quòd-

dam genus dependentiæ; & nos jam diximus, tres divinas Personas minimam dependentiam à se invicem non habere. Ah! quàm longè aliæ sunt leges justitiæ æternæ, quæ observatur intus in Deo, inter tres divinas Personas, & justitiæ temporalis, quæ colitur extra Deum inter homines!

Æquum est penes unam, ut filius dependeat à Patre suo, velut à suo superiore naturali: penes alteram æquum est, ut Filius in omnibus æqualis sit Patri suo, cum ambo non sint nisi unus Deus: penes unam debet filius reverentiam & obedientiam Patri suo, & hanc si abnuat, reus est criminis; penes alteram Filius non debet nec venerationem nec submissionem, nec obedientiam divino Patri suo; Et si per impossibile hanc illi exhibere posset in Deitate, Deus amplius non esset. Penes unam oportet Filium recipere directionem, correctionem & instructionem à Patre suo, quia junior est ipso: penes alteram Filius est æquè sapiens, æquè Sanctus, æquè gnarus ac Pater ipse, quia æquè æternus est ac ipse, cum ambo non habeant nisi unam eandemque sapientiam infinitam, unam eandemque æternitatem.

Fateamini igitur virorum sapientissimi, omnes vestras humilissimas scientiis, Fidei in sublimiori modo

magis scientiis,



manas scientias simul conjunctas & unitas, omnésque pertinaces studiorum vestrorum labores, etiam per decies milles annos, noctes diésque productos, inducere vos nunquam potuisse in Cognitionem horum prodigiorum intellectui humano prorsus incomprehensibilem, imò nec unicum è profundis hisce æternitatis arcanis vobis unquam detegere potuisse. Nihilominus fides imbuit & instruit his Christianum, abs alio labore, nisi ut simpliciter stupendas illas veritates audiat, his humiliter se subjiciat, illasque firmiter credat, velut oracula, quæ prodierunt ex ore Dei. O Millies fortunatam Conditionem Christiani, qui discipu-

lus est Academiæ cœlestis, dum haurire ipsi concessum est ex thesauro veritatis æternæ, & absque labore extrahere cognitiones tam sublimes, tamque admirabiles, ut omnem sapientissimorum virorum confundant sapientiam. O summæ Majestatis Deus, tu magnum lumen es, quisquis appropinnaverit tibi, illuminabitur totus: alio mihi haud opus est Magistro, libros claudo, deinceps non nisi ad pedes tuos studebo; studium meum erit oratio, Philosophia mea erit meditatio mirabilium, quæ edoceor à fide; nullus vitæ meæ elabetur dies, quo non adnitam majorem in hac scientiâ nunquam non facere progressum.

## ARGUMENTUM.

1. Tres divina Personæ donant omnia sibi invicem & tamen retinent omnia, quæ donant.
2. Deus solus est, optimo tamen

Comitatu Stipatus.

3. Habent Colloquium supra modum dulce, & tamen non loquuntur, nisi unicum verbum.

### ARTICULUS III.

Quando amittitur terra in profundo aquæ, ubi submergendi sit periculum, apprehenditur, quidquid ubivis potest. Omnes hi viri sapientes, qui submergendos si videbant profunditate Mysteriorum fidei Christianæ, non habebant, quod opponerent. Ut tamen ad

fui confusionem, ignorantia suæ confessionem evitarent, & absque ullo responso pon manerent, unus illorum fecit instantiam circa id, quod dictum fuerat; nempe quod Pater tribuat omne suum esse Filio suo, absque ulla exceptione. Si diceres, quod participem ipsum faceret Divinitatis suæ, unam ipsi donando

S 3 portio-

portionem, alteram reservando sibi; sicut aliquis Pater tradere potest filio suo aliquam bonorum suorum Partem, & aliam sibi reservare, hoc non aded rationi obluatetur Sed dum dicit, quod omnia donet nisi absque ulla exceptione, nonne sequitur, ipsum nihil amplius habere, cum nihil pro se exceperit aut reservaverit; quod alteri donavi, clarum est, id amplius meum non esse. Vel si diceres, quod reproduxerit & esse suum multiplicaverit, dum id communicavit Filio suo, eo ferè modo, quo facula accendit aliam multiplicando lumen suum, sic facile comprehendere possit. Sed dicere, quod tres sint, quorum quis in seipso totam habeat divinitatem & Deus sit, nihilominus non nisi unicus existat Deus, & unica Divinitas, quomodo hæc conciliari poterunt?

Essentia divina est tota communicata tribus Personis, absque sui multiplicatione.

Fides me docet, respondet Christianus, divinas Personas omnia, quæ habent, sibi invicem donare, & quamlibet tamen illarum retinere sibi omnia, quæ alteri donat, id est, totam suam Essentiam, omnes suas perfectiones absque ulla divisione, absque ulla diminutione, & etiam absque ulla multiplicatione divinitatis suæ; ita ut omnes tres simul non habeant plus, quam una sola in particulari, & una sola non habeat mi-

nus, quam omnes tres. Quot hominum viderunt manifestam hujus Prodigii Imaginem in parvis illis tribus globulis, qui reperti fuerunt in corde Sanctæ Clara de Monte Falcone. Contemplabatur ipsa ut plurimum Excellentias & maxima arcana sanctissimæ Trinitatis, & voluit Deus ad comprobendam hanc Devotionem, visibilem hujus relinquere imaginem in corde ipsius, in tribus hisce globulis. Potest aliqua ratione de ipsis affirmari, quod ipsorum sint tres, & non sint nisi unus: siquidem si hodie dum adhuc ad trutinam examinentur ac pendantur, inveniuntur ponderis esse tam æqualis, ita ut duo non pendant plus, quam unus solus, & omnes tres nec plus nec minus reddant ponderis, quam unus ipsorum in particulari: Si prodigium hoc, quod nostri intuentur oculi, nostrum excedat captum, an mirum sit, quod intellectus humanus Sanctissimæ Trinitatis Mysterium capere non possit?

Sed aliud adhuc majus prodigium complectitur profunda hæc Divinitatis abyssus; & est, quod omnes tres divinæ Personæ tam realiter inter se & à se invicem sint distinctæ, ut impossibile sit, unam esse aliam: Et nihilominus sunt tali ratione eadem omnino res, ut impossibile

Tres Personæ divinæ sunt oppositæ, & tamen sunt eadem res.

bile sit, unam esse quid aliud, quam sit altera. Sunt ipsæ sibi invicem oppositæ oppositione relativâ, & nihilominus manent omnes invicem in se, & una in alterâ, absque ullâ divisione aut separatione. Una Persona est unus solus Deus; duæ Personæ sunt unus solus Deus; & omnes tres personæ sunt unus solus Deus; Et nihilominus Deus hic unicus non est solus, sed nunquam non fruitur maximâ & nobilissimâ Societate: siquidem tres divinæ Personæ conservant admirandam inter se Societatem, in omnem æternitatem.

Si nôsse desideras, quænam sit ipsarum occupatio, quodve inter ipsas colloquium, dicitur tibi, tam altum servari in inefabilibus ipsarum congressibus silentium, ut nunquam nisi unicum soluminodò verbum proferratur, & non bis repetatur id ipsum: & nihilominus nunquam sunt absque verbis & colloquio tam amicabili, ut totum Dei intellectum defixum & attentum teneat, ad gustandam dulcedinem infinitam, quâ unicum hoc Verbum enuntians perfunditur, abs eo, quod vel unico momento ab illo divertere se possit. Dicitur tibi, unicam tantum esse, quæ loquatur, & loquatur tam occulte, tamque secreto, ut non nisi audiatur & intelligatur à tribus; Et nihilominus alias duas

personas nunquam esse sine verbo, quamvis non loquantur: An probè intelligis omnia hæc prodigia? Adhæc dicitur tibi, divinas tres personas sic reciproçâ cum complacentiâ colloquendo ac conversando, amare se invicem amore perfectissimo: ita tamen, cum omnes tres non habeant nisi cor unum & unicam voluntatem, ut duo sint tantum ex illis, qui ament, & tertia, quamvis hæc tota sit amor, amare omnino non possit: Id est, quod non nisi Pater & Filius sint, qui reciproçè se amando producant Spiritum Sanctum; sed Spiritus Sanctus, quem exhalant è corde suo velut amorem infinitum, nihil amando possit producere. Quantum prodigium, quod amor infinitus producere non possit terminum sibi similem! Sed verissimum est, cum producere non possit alium Spiritum Sanctum. Duæ igitur tantum primæ Personæ sunt, quæ amant, & tamen omnes tres Personæ amantur. An virorum peritissimi, bene comprehenditis ac penetratis adorandam Mysteriorum horum profunditatem?

Millenis studete annis, centies millenis studete annis in omnibus scientiarum humanarum Scholis; habeatis vos solam omnem naturalis intellectus tam Angelorum, quam hominum

Homagium  
præstatur  
Sanctissi-  
mæ Trini-  
tati per fi-  
dem, non  
per scien-  
tiam.

Mirebile  
colloqui-  
um inter-  
num Dei.

Per  
divi-  
sionem  
sunt  
sunt,  
men  
causa

num conclusam in capite vestro perspiciam, nunquam pertinetis eò, ut vel unicam comprehendere vobis liceat, sublimium illarum veritatum, quas in se complectitur superadorandum & in comprehensibile Sanctissimæ Trinitatis Mysterium. Tacete vos linguæ mortales; submitte vos ingenia humana; annihila te anima mea, in præsentia infinitæ hujus Majestatis: Non nisi homagio firmæ fidei, profundæ humilitatis, & venerabundi silentii vult honorari; Non autem vanis conatibus, quos volueris impendere ad comprehendendum quidquam suarum magnitudinum. Nonne etiam videbis, Deum in lege suâ nobis præcipere, ut patenter ipsum cognoscamus, sed ut ardentè ipsum amemus? Sufficiat vobis clausis oculis humi-

liter ambulare in fidei tenebris; dilatate autem corda vestra, ut ipsum desideretis, post ipsum suspiretis, & ex totis vestris viribus ametis ipsum. Concessum vobis non est, ipsum cognoscere interris, qualis est; prærogativa hæc est Beatorum in Cœlis: ipsorum cognitio clara & evidens tota differt à vestrà, quæ non nisi nox est & calige: Verumtamen hoc saltem frui mini solatio, quod amare ipsum possitis, qualis est, & eodem amore, quo amatur à Beatis. Vestram voluntatem conjungite cum voluntate ipsorum, ut sacratus ipso adurens ignis & vos cum ipsis consumat. Ah! Si soli haberetis omnem tum hominum tum Angelorum, ac altissimorum Seraphinorum in Cœlis amorem, nondum adhuc sufficeret.

## ARGUMENTUM.

1. *Adorandum Sanctissima Trinitatis Mysterium excogitari non potuit ab intellectu humano.*

2. *Fides mirum in modum triumphat de intellectu humano, in hoc Mysterio.*

### ARTICULUS IV.

**E**Sapientissimo Virorum illorum Collegio, quidam cæteris magis exultus, qui hucusque altum coluerat silentium, cujusque animo magnus ille memoratarum veritatum splendor

offudisse caliginem videbatur, Christianum, quem tot ac tantis divinis luminibus divitem cernebat, alloquitur. Obstupesco, quâ ratione inveniri poterit in mundo tantæ sagacitatis intellectus, ut omnia, quæ dicis, vel excogitare vel imaginari

nari sibi potuerit: Sed magis adhuc admiror, inveniri potuisse homines tantæ credulitatis, ut permiserint sibi persuaderi, quod mente non possent complecti; cum intellectus non cedat, nec se dedat nisi ad evidentiam veritatis, quæ hic deficit.

Mysterium  
Trinitatis  
non potuit esse  
inventio  
hominum.

Verum quidem inquis, respondet Christianus, non potuisse intellectum humanum excogitare & invenire veritates incomprehensibiles, quas fides nos docet, cum primis quæ concernunt altissima arcana in adorando *Trinitatis* Mysterio abscondita; neque enim scientia horum est in intellectu hominum concepta. *Æternitatis* est Mysterium, quod & initio caruit, & sine nunquam carebit: inscrutabilis abyffus arcanorum Dei est, quæ in seipso abscondita gerebat ante mundi creationem, quæque semper obvelata mansissent hominibus, nisi illa revelasset. Hoc unum Dei necessarium est, in quo omnis ipsius magnitudo, ipsius vita, ipsius Beatitudo consistit. Tolle cætera omnia, & hoc unicum maneat Mysterium, sufficit Deo ut sit, quod est; & si per impossibile hoc tolleretur cæteris omnibus manentibus per aliud impossibile, Deus amplius non esset. Unico verbo, hæc est tota Dei occupatio in seipso; & si quæras, quid per totam fecerit æternitatem, nil aliud, nisi

quod compleverit immensum *Trinitatis* Mysterium. Sed ita se totum huic impendit negotio, ut infinita intellectus sui virtus, infinitæ voluntatis suæ vires per hoc exhauriantur: nulli parcat operæ, & si minorem quam infinitam in se ipso haberet virtutem, illud complere non posset. Jam tibi considerandum relinquo, an intellectus hominis, qui non nisi maximæ debilitatis est, habilis & aptus foret conficiendo operam exquisitam, quod Omnipotentiam DEI infinitam exquirat.

Non admiror, homines invenire haud potuisse Mysterium maximum, quod factu possibile non est, nisi Deo soli; sed admiror voluisse Deum eò usque honorare animam, rationalem, ut ipsi communicare ac revelare voluerit stupendum maximè arcanum; quod in se ipso per omnem æternitatem reconditum gerebat: quod ingens hoc Mysterium transterit, ut ita loquar, ex intellectu Dei in intellectum hominis; isque nobis eo nomine, ut illud doceremur, mittere voluerit de Cælo unam è tribus divinis Personis, quæ esset velut depositaria omnium arcanorum divinarum; quod largitus nobis fuerit fidem, velut luminum suorum æternorum radium, quo velut cuspide di-

Magnum  
prodigium,  
quod cognoscimus  
hoc Mysterium.

T

vicitis

vitæ penicilli, in animâ nostrâ ex favore depingeret rarissima ineffabilis hujus Mysterii prodigia, quæ ipse in semetipso operatur ex naturâ.

Quare Deus incipi voluerit prædicationem Evangelii à Mysterio SS. Trinitatis.

Joan. 20.

Insuper admiror, quod, postquam Filius Dei nos instruere dignatus est, hic in terris proprio ore suo benedicto, mandatum dederit Apostolis eundi in mundum universum ad diffundendos eosdem luminum thesauros, magnis hisce verbis alloquendo ipsos: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ite, instruite, docete, illuminate omnes mundi nationes & populos, baptizantes eos in Nomine *Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Quam altum divinæ ipsius sapientiæ consilium, dum voluit, ut instruere mundum inciperent, docendo homines Mysterium adorandæ *Trinitatis*, licet hoc ex omnibus Mysteriis sit magis incomprehensibile, magisq; aptum ad absterrendum & prorsus avertendum omnem intellectum, nondum aliquâ fidei tincturâ imbutum? Quamobrem non mandavit, ut inciperent ab aliquâ re magis subjectâ sensibus, adeoque captu magis facili, ut paulatim ipsorum animos deduceret, ad submitendum se fidei hujusce Mysterii? Inde est, quod differentia sit inter scientiam, quæ de Cælo venit, & illam, quæ de terrâ

nascitur. Quando erudimur in scientiis humanis, incipitur à principiis nobis magis cognitis, quibusque totus mundus annuum præbet; & exinde gradatim declarantur & explanantur nobis veritates magis abstrusæ & reconditæ, quas assequi non potuissemus, si mox ab exordio fuissent propositæ. Methodus hæc necessaria est, dum agitur de scientiis acquisitis, quia oportet intellectum scientiam suam trahere ex se ipso, & discurrendo super principia naturaliter à se cognita evolvere ac eruere consequentias; quas prius non videbat. Sed scientia, quæ nobis de Cælo venit, contrariò prorsus passu ambulat, cum intellectus humanus illius Principia non habeat in seipso, sed inclusa hæc sint in intellectu Dei, qui infinitus horum thesaurus est; non generatur ipsa in nobis virtute discursuum ut ratiocinationum; non nisi opus est simpliciter audire, quid Deus nobis dicat, illudque firma fide credere; Non descendit ipsa ab intellectu Dei in nostrum intellectum, ut dependeat à nostra cognitione naturali; sed venit; ut hanc caligine obducatur & omnino extinguat; venit, ut imperet, & absolutè dominetur; Non sinit se tribunali hominis, ut ab ipso examinetur velut à suo iudice; sed venit, ut instruat ipsum

ipsum suum velut tyronem ac discipulum; ideoque cum Majestate ingreditur in animam, ipsique statim ab initio exhibet, offert, & affert omnium nostrorum Mysteriorum fulgidissimum, magisque incomprehensibile, ut tanto magis captivet illam, majorémque ipsi imprimat venerationem ac Reverentiam.

Fides docet cum potestate.

Matth. 28.

Sic Apostoli, qui primi Doctores erant, imbuentes nos divinam hanc Cœli sapientiam, mandatum acceperunt à divino suo Magistro, ut loquerentur nobis velut oracula cum Auctoritate ac potestate: *Euntes docete omnes Gentes.* Ite, instruete omnes homines, qui sunt in mundo. Non dicit ipsis: præparate vos, disputate contra illos, studeate firmis rationibus in vestram ipsos trahere sententiam. Hoc bonum esset, si quæstio foret de aliquâ scientiâ humanâ; sed divina non disputat, non disceptat, ipsa docet cum Auctoritate. Non dicit ipsis: Ite, exhortamini illos, persuadete ipsis facundâ suadâ & suaviloquâ facundiâ, ut vestra recipiant dogmata. Hoc non foret incongruum, si ageretur de inferendis quibusdam affectibus naturalibus, vel concitandis ac commovendis passionibus humanis; sed fides loquitur simpliciter, & vult ut credatur fideliter, quidquid credendum proposuerit.

Porro ipsis non dicit: Insinuate vos blandè omninò in ipsorum animos, & primitus ob oculos collocare illis plausibilia; demulcete illos à primo limine lenocinis, sicut & magnarum utilitatum pollicitis, ut paulatim alliciatis illos, & ad partes meas amplectendas flectatis, quibuscunque poteritis illiciis ac artificiiis. Nihil ex his omnibus; sed loquitur velut supremus Magister & Dominus: Ite, instruete illos, Estote Magistri omnium in mundo, vestræ disciplinæ illos omnes subjicite: Docete omnes gentes. Docete illas à principio, quod credere oporteat unum Deum in tribus Personis, *Patre, Filio, & Spiritu Sancto.*

Verum Domine, dixisses ipsi, an omnes mundi nationes facerent dociles ad submittendum se repenti & spontè tuis Apostolis, qui rudes sunt & ignari, ut doceantur ab illis? Verum tot sapientes politici, totque prudentes Philosophi, paganis fulcimenta & baculi, an esse volent simplicium piscatorum discipuli, dum inaudita, & intellectui humano incomprehensibilia proponunt ipsis dogmata? Sed demum tot divites, tot nobiles, tot potentes, tot animo elati ac inflati, qui mundi se credunt tenere gubernacula, qui audiri à populis haud aliter volunt quàm oracula, quasi nescio

T 2

quos

quos in terris āgerent Deos; an hi omnes quanto cyus humili hāc prosequuntur reverentiā homines abjectos ac inopes, ignotos, nullā conspicuos Auctoritate, ut illos audiant, illis credant, & quidquid dixerint, velut infalibiles recipiant veritates, abs eo, quod illas capiant, aut intellectu assequantur? An quidquam hic verisimilitudinis?

Quantum prodigium, quod fides induxerit ad credendum res incomprehensibiles,

Videbis, respondebit tibi, videbis invincibilem vim ac virtutem fidei divinæ. Quod nunquam collecta in unum sapientissimorum virorum scientia, potuisset ulli explanare; quod nunquam omnis maximorum oratorum facundia ulli hominum potuisset persuadere; & deniq; quod absoluta summorum Magnatum potentia non potuisset ab intellectu humano obtinere, ut sese captivaret, ac semetipsum induceret ad credendum cæco modo id, quod non capiebat, non intelligebat, hoc fides divina obtinebit suaviter, ubi primum ingressa fuerit mundum, tota æternis magnæ hujus veritatis circumfusa luminibus: Est unicus Deus solus in tribus Personis, *Pater & Filius & Spiritus Sanctus*. Hem! Nonne videmus tot millies centena millia Virorum Excellentissimorum, Sapientissimorum, Nobilissimorum toti mundo diffusorum, magnā cum humilitate, sed & firmis-

mā cum fide subjecisse se ad credendum veritates tam abstrusas & obscuras, ut nec minimum quidem in iis vel viderent, vel intelligerent, solum ex eo, quod fides illas docere ac credendas proponeret: Cū tamen nominatissimi, quique philosophi apud Antiquos omni cum potentiā, ac discursuum suorum evidentiā, proponendo etiam res plausibiles & inclinationibus humanis lenocinantes, obtinere ab hominibus non potuerint, ut suas amplecterentur partes, suis insisterent & adhererent axiomatibus, paradigmatis, dogmatibus.

Hem! Unde oritur, fidem divinam, plures suā caligine lucrari animas, quā scientia humana suā lucretur evidentiā? nisi quod illa in fronte portet & aspiciendū exhibeat adorandum Sanctissimæ *Trinitatis* Mysterium? Et sicut hoc Mysterium est omnipotens, ut omnia operetur intus in Deo, quod tantæ virtutis est, ut intellectum Dei parere faciat *Filium Unigenitum* in sinu Patris, ut voluntatem Dei compellat & urgeat ad producendum *Spiritum Sanctum* in sinu Patris & Filii; ita omnipotens quoque est, ut omnia operetur extra Deum in animabus. Illud est, quod progignit filios adoptivos Dei in sinu Baptismi; nec unicum horum producit gratia, cujus Nativitati illud non

Fides est omnipotens, dum portat in fronte Mysterium adorandæ Trinitatis.

præ-



præsideat : Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quasi tres divinæ Personæ, quæ in primâ hominis formatione conspirarunt & sua con- tulerunt consilia, dum dixerunt : Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; iterum conspirarent ad eundem hic reproducendum, reformando ipsum modo nobiliori ad suum similitudinem, dum de novo nascitur vitæ divinæ, velut viva Imago Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Ipse portat imaginem Patris, quia habet esse quoddam æternum, quod est gratia ipsum sanctificans : Ipse portat imaginem Filii, quia adoptatus est in Filium Dei : Ipse portat imaginem Spiritus Sancti, quia ipse, productus est per amorem. Hinc est, quod in Baptismo nascens Deo, locupletatum se inveniat tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate? velut triplicato diademate, quo coronatur à tribus Personis divinis; hinc est, quod honoretur incomparabilibus tribus prærogativis; gratiâ adoptante ipsum in Filium Dei, Characterem Christiani, discernente ipsum ab iis, qui non sunt membra Ecclesiæ, & legitimo jure ad æternam hæreditatem Patris sui cœlestis.

Hoc Mysterium nasci  
Hoc igitur admirandum est  
Mysterium, quod præsidet Na-

tivitati omnium fidelium. <sup>Facit & conservat</sup> Ipsum est Pater æternus pro-  
gens Ecclesiam, velut dilectam Ecclesiam, suam filiam; Ipsum est Filius unigenitus illuminans & gubernans ipsam divino suo lumine; Ipsum est Spiritus Sanctus, facris ipsam vivificans flammis, tamque firmiter unitam conservans cum divino suo Patre, ut ab illo nunquam separari possit: Ipsum est facula fidelium ad dirigendos ipsos in viam salutis. Prima instructio, quæ illis datur, est, quod sit unus Deus, in tribus Personis, Patre, Filio & Spiritu Sancto, quasi ad indigitandum ipsis unicum scopum, ad quem tendere, unicum objectum, quò spem suam dirigere debent. Lumen gloriæ nil mirabilius ostendet ipsis in æternitate, quàm ingens hoc Mysterium; similiter lumen fidei nil majus habet in terris quod doceat, quàm Mysterium adorandæ Trinitatis.

Ipsum est robur ac munimen Christiani: quando hic nascitur Deo in sacro Baptismate, adhibentur ipsi sacratæ unctiones, uti observat Sanctus Augustinus, eo quod fiat filius Ecclesiæ militantis, & quia periculosa adscribitur militiæ, præparare se debeat ad pugnam. Ipsius arma sunt Crux & oratio; docetur formare signum Crucis, & quotiescunque hanc format, dicit:

T 3

dicit: In Nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Et arma hæc, quæ Sanctissimæ Trinitatis insignit splendore & gloriâ, tantæ sunt fortitudinis, ut victorem ipsum reddant de mundo, de vitis, de passionibus, de ipso inferno. Quantos enim Christianos videre fuit, qui signo sanctæ Crucis & invocatione Sanctissimæ Trinitatis stupenda patrârunt prodigia? Dum canimus laudes Dei, concludimus semper psalmodiam, resonando Sanctissimæ Trinitati gloriam: Gloria Patri & Filio & Spiritui

Sancto. Unico verbo, nil Religiosi operis exercemus in totâ Christianâ Religione, quin adorandum hoc Mysterium ubique collocetur & statuatur in fronte, tanquam illud, quod occupare debeat omnes cogitationes, omnes affectus nostros, quod honorari par sit cunctis nostris obsequiis ac homagiis. Sed quod magis feriam meretur considerationem, est, quod nobis proponatur velut verum Exemplar actionum nostrarum, uti mox videbis.

## ARGUMENTUM.

1. Homo factus est ad imaginem Dei, ut sit imitator Dei.
2. Duo sunt actionum genera in

Deo, interiorum & exteriorum, juxta quas & nostras ordinare debemus.

### ARTICULUS V.

Quatuor privilegia nostræ animæ.

**D**icendam omninò est, Dum magna moliri consilia circa animam nostram, dum ipsam locupletavit quatuor tam admirandis prærogativis, quibus extollatur super omnes alias inferioris hujus mundi Creaturas. Nam 1. ipsa sola accepit esse spirituale ac immortale, sicut Angeli, licet implicata ac irrita sit Corpore mortali, sicut animæ Brutorum. 2. Ipsam solam reliquit Deus in manu consilii sui, volens, ut tam integrâ fruereetur libertate, ut non so-

lum cogi non possit ab ullâ creaturâ, sed ipse quoque renuntiâsse videatur absolutæ suæ Auctoritati, quam exercet super reliquas omnes creaturas, quibuscum penes suum disponit arbitrium, ad conservandum ipsi jura libertatis suæ, permitiendo ipsam facere, quidquid voluerit. 3. Ipsa sola capax est, ut cognoscere & amare possit Deum suum, immediato cum ipso frui commercio, familiariter & cordialiter ipsi colloqui, admitti ad intima cordis sui secreta, stupendâ sanè favores, qui

qui ad invidiam stimulare & a-  
mulatione accendere ceteras  
possent creaturas. 4. Et horum  
omnium est maximum, quod  
ipsam solam eam tantum causa  
creaverit, ut in presenti vita  
possideret ipsum per gratiam, &  
in Caelo per gloriam, in om-  
nem aeternitatem.

Hinc est, quod, cum pedum  
suorum vestigia tantum in aliis  
reliquerit creaturis, juxta effa-  
tum cujusdam Ecclesiae Patris,  
se ipsum in ipsa depingere vo-  
luerit, ipsam ad suam forman-  
do similitudinem. Deus est pu-  
rus Spiritus; Et anima est etiam  
Spiritus, Deus habet intelle-  
ctum, quo se cognoscit; & vo-  
luntatem, qua se amat; Et ani-  
ma habet intellectum, ac vo-  
luntatem ad cognoscendum & a-  
mandum Deum: Deus est aeternus  
anima est aeterna; Deus non pos-  
est repleri, nec contentari nisi se-  
ipso; & anima contentari ac re-  
pleri non potest, nisi solo Deo. Ag-  
nosce o Anima, exclamat de super  
Sanctus Leo Magnus Papa, to-  
tus in profundam raptus admi-  
rationem; Agnosce dignitatem  
Nativitatis tuae & Magnum Dei  
consilium super te; & vide, quod  
ided te reddere voluerit simi-  
lem sibi, ut obligaret te ad sui  
imitationem: *Ut imitator sui*

interiores & prorsus abscondita  
intus in Deo, quas appellant  
*Actiones ad intra.* Aliae sunt ex-  
teriores, quae nostris patent &  
exhibentur Oculis: Haec nuncu-  
pantur *Actiones ad Extra.* Om-  
nes suam habent Excellentiam;  
sed inter utrasque discrimen quo-  
que observant. Nam 1. dici pot-  
est, quod interiores sint opus  
Dei in Deo ipso, ubi non solum  
ipse producit, verum etiam ip-  
semet producit, cum sit Prin-  
cipium & Terminus actionis suae.  
Exteriores sunt etiam opus Dei,  
sed extra Deum; hujus ipse est  
Auctor, sed non est opus ipsum;  
agit ipse velut creator, & quod  
producit, sunt creaturae.

2. Adhaec interiores sunt a-  
eternae & necessariae; siquidem  
haec nunquam inceperunt & nun-  
quam finientur; neque est in  
potestate Dei illas vel unico mo-  
mento interrumpendi. Exte-  
riores sunt temporales: siqui-  
dem is mundum non creavit ab  
aeterno, sed in principio tempo-  
rum; quando voluit, incepit, &  
non nisi sex dies decumano huic  
operi conficiendo impendit: po-  
terat ipsum producere in mo-  
mento; & liberum est ipsi cessa-  
re ab ipsius productione; vel  
eundem omnino annihilare.

3. Ulterius, interiores nec  
sunt, nec esse possunt plures;  
quam duae solum. Per primam  
producit Filium suum unigeni-  
tum,

Ipsorum  
differen-  
tia in quin-  
que rebus,

Nostra ani-  
ma est si-  
milis Deo.

non amittit  
sua essentia  
sua natura  
sua libertas  
sua immortalitas  
sua aeternitas  
sua divinitas

Serm. 1. de  
jejun. de  
cimi men-  
sis.

Duo gene-  
ra actio-  
num in  
Deo.

tum, contemplando divinam suam pulchritudinem; Et per secundam producit Spiritum Sanctum, amando infinitam suam Bonitatem; ita ut omnia duobus claudantur terminis, dum cognoscit & amat Deum. Ecce quæ sit tota ipsius occupatio per omnem æternitatem. Exteriores non sunt limitatæ ad certum numerum, quarum infinitas producit diversæ conditionis; & harum alias adhuc potest producere, quotquot voluerit, in singula temporum momenta.

4. Porro verum est, quod interiores exhauriant omnem ipsius virtutem, quamvis hæc sit infinita; siquidem Omnipotentia Divini sui intellectus ita se totam impendit productioni Filii sui unigeniti; ut secundum similem amplius non posset producere; Et vires voluntatis suæ ita totas se applicant productioni solius unius Amoris divini, ut amplius non habeant, unde alium adhuc producere possint. Exteriores exhaurire nunquam possunt virtutem infinitam omnipotentis suæ; tot enim nunquam producet creaturas, quin semper adhuc plures & plures luci posset exponere. Affirmari igitur potest, quod quasi nihil virtutis suæ impendat ad omnes actiones suas exteriores.

5. Sed demum præcipua differen-

tia est, quod in actionibus interioribus Dei consistat tota ipsius gloria, tota ipsius Magnitudo, tota ipsius Beatitudo: ita ut si per impossibile illas unico tantum momento interrumperet, desineret esse Deus, & quantocumque amplius non esset. Exteriores e contra, quamvis magnificæ & splendide nostris oculis videantur, nil ponderis addunt gloriæ ipsius essentiali, nec Magnitudini ipsius divinæ; sive sint, sive non sint, gloria Dei nec augetur, nec minuitur in semetipsa.

Cum igitur anima nostra eo nomine creata sit ad similitudinem Dei, ut imitetur ipsum in actionibus suis; hancque imitationem in Evangelio nobis iungat ipsemet *Christus JESUS*, quando dixit: Estote perfecti, sicut Pater vester Cœlestis perfectus est. Hinc adorandum sanctissimæ *Trinitatis* Mysterium, verum est exemplar, quod omnes Christiani contemplando aspicere, & absque intermissione sibi ob oculos ponere, hæcque ratione exstimulare se deberent ad ipsius imitationem. Anima nostra, sicut Deus, exercere potest duo actionum genera; actiones nempe exteriores & interiores: potest in interiori suo contendere & adniti, ut intellectu suo cognoscat, & voluntate suâ amet Deum; potest ipsa exterius vacare bonis operibus

Anima nostra sicut Deus perficere potest duo operum genera interiora & exteriora.

diu

diu multumque frequentatis, pro Dei gloria & salute proximi. Sed quandoquidem maxima est differentia inter actiones aternas & necessarias, quas Deus intra se complectitur, & illas, quas exterius & extra se producit; eod quod interiores infinito modo nobiliores & præstantiores sint, quam exteriores, quæ respectu illarum sunt fermè nihil: hinc & animam præcipuum suum studium collocare oportet, ut optime colat, & expoliat mentis suæ interiora & abdita penetralia; Et quamvis bona opera exteriora negligenda ipsi non sint, nihilominus manifestè intuetur in divino exemplari, quod imitari debet, his respectu illarum parum adesse ponderis ac momenti.

Sapius in actionibus nostris contrariamur Deo.

Unde ergò oritur, quòd in actionibus nostris, atque in illo, quem tenemus perfectionem acquirendi, nosque Deo assimilandi modo, ita omnem supra modum Deo contrariemur? Ipse omnem suam magnitudinem, suam beatitudinem totam collocat in interioribus intellectus sui, & voluntatis suæ actionibus, quæ aliæ non sunt, nisi contemplari & amare Deum, & neutquam in exterioribus, quæ non nisi creaturas respiciunt. Nos ex adverso præcipuo amore ac æstimatione prosequimur bona opera externa, quæ speciosa & splendenda

sunt coram mundo, & flocci facimus interna, quæ Dei solummodò patent oculis. Ipse omne suum studium, omnem suam infinitam virtutem actionibus impendit internis, quas nec unico per omnem aternitatem interrumpit momento; & non nisi modicum temporis tribuit externis, de quibus ipse sacer codex nobis loquitur quasi de ludo & quâdam animi relaxatione: *Ludens in orbe terrarum*; ita ut actiones internæ sint magna & momentosa opera Dei; Externæ autem non nisi tenues ejusdem opellæ. Econtrariò nos totum vitæ nostræ cursum innumeris operum externorum, quorum sapius nulla est necessitas, obvolvimus & absolvimus intricamentis; Et si unica de die hora occupationi mentis internæ ad agendum vel colloquendum familiariter & cordialiter cum Deo, sit tribuenda, tribuimus jacturæ, & omne illud tempus inaniter collocatum censemus; & quod agimus, cum tædio actitamus & magnâ negligentia. O quàm contrarii sumus Deo, quàmque exiguâ contentione adnitimur, adorando huic nos conformare Exemplari!

Ah! quò tendunt præcipue Nostri vota nostra, quemque dulcissimam nostræ spei præfigimus scopum? Nonne, ut omnem impendamus aternitatè aliud non agendo,

U agendo, nitatem.

agendo, nisi contemplando, Excellentias Dei, & amando ipsius pulchritudinem ex toto corde nostro, in amœnissimo illo Beatitudinis habitaculo, ubi id ipsum est unicum Beatorum omnium negotium? Ah! quomodo invenire poterimus consummatam nostram Beatitudinem in Exercitio, quod nunquam, ne extremis quidem labris gustavimus, nunquam redegimus in opus; imò & cujus prorsus nullam toto vitæ mortalis decursu habuimus notitiam? quid est, ut verum fatear, omne vitæ nostræ tempus, nisi tyrocinium æternitatis? Quomodo credam, in omnem æternitatem nihil haud aliud fore agendum, nisi quod intellectu meo, & voluntate meâ unice adhæream Deo; meque totum ipsi impendam, cæteris omnibus hujus intuitu quasi nihili pensis; & modo id ipsum respiciam, potius despiciam, fungi faciam quasi functionum mearum minimam & abjectissimam, ipsi cætera quasi omnia antefereudo? Quomodo inducere in animum poterò, contemplari & amare Deum fore in infinitas sæculorum myriades, supremam ac summam animæ meæ voluptatem; & in præsentem nullam in his præsentiam delectationem vel minimam? Oratio, quæ supremæ hujus Beatitudinis, quædam est prægustatio, non est

gustui sed tædio; quam profundum velut rem nullius emolumenti perpendo, omne in illâ impensum tempus velut perditum pendo ac censeo. O Summam mortalium ignorantiam! O cœcitatem hominum deplorandam! Ah! An majus quid facere possemus in tempore, quam quod maximum olim erit in æternitate?

Omnes, qui persuasam sibi <sup>Studium</sup> habent veritatem Existentiæ Dei, <sup>animæ</sup> nonne homines oporteat esse <sup>contem-</sup> spirituales, cum noverint, ipsum <sup>plative,</sup> purum esse Spiritum, & cum eo agi non posse, nisi spiritualiter? Sed omnes Christianos, qui unum Deum adorant in tribus personis, nonne homines esse oporteret orationi & contemplationi addictos, scientes, ipsum verum esse Exemplar sibi propositum ad imitandum? Vident ipsi, Deum nunquam cessare ab aspectu æternæ suæ pulchritudinis, nec ab amore actuali infinitæ suæ Bonitatis, vel unico momento: Nonne & ipsis foret adnitendum, ut dimitterent nunquam, nec unico instanti, reminiscentiæ Dei, vel actualem ipsius suspenderent amorem? Oportet saltem habere suas solitudinis & orationis horas, sublimes huic Exercitio destinatas, firmiter animo insculpere idæam, reverentiam ac amorem erga SS. *Trinitatem*, <sup>singu-</sup>

Angulari erga ipsam veneratione & devotione affici, & sapius ad singulos horæ sonitus alacri resonare voce: *Benedicta sit SS.*

*Trinitas atque indivisa unitas: Confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.*

## CONSULTATIO VII.

### De Persona Patris.

**M**issionarius quidem nuper rimè redux ex Insulis occidentalibus recensabat mihi, vidisse se plures homines sylvestres ac feros, qui quasi nullam habere videbantur divinitatis cognitionem, tam erant rudes ac stupidi, propius accedentes ad conditionem brutorum, quàm hominum; nihilominus ex illis in unum se incurrisse, qui longè ingenio ac mente ante currebat alios; ipsius indoles feritatis referebat nihil; sed potius amabat societatem, & magna perfundebatur voluptate, dum verba fundentem de rebus altioribus audiebat, quò agnata curiositate ipsius rapiebatur animus, quò ab aliquo conditionis ac nationis suæ expectari vix poterat.

Homo Syl-  
vestris ra-  
tione præ-  
ditus, in-  
vestigabat  
prodigia  
solis.

Hic sapius occupabat mentem consideratione solis, cujus pulchritudine & præstitis ab ipso mundo obsequiis extra se ipsum abripiabatur: siquidem cum videret indies fecundissimum hunc luminis fontem, torrentis

more splendores suos, in terras è sinu suo diffundentem, abs eo, quòd unquam exhauriretur; Cum videret, quàm promptum & expeditum se exhiberet ad benefaciendum toti universo, cum non nisi duo requireret instantia ad ablegandum suos è sinu suo super universum hemisphærium radios; Cum videret prodigiosam hanc mundi faculam extingui nunquam, portare secum diem, quòcunque accessu fugari tenebras, quas ipsa natura horrèt ac fugit. Cum consideraret, universalem hunc totius naturæ Benefactorem, tanto amore erga ipsam ferri, tanto tamque vehementi teneri desiderio, suis ipsam cumulandi beneficiis, ut nec dies nec noctes quiesceret, sed velut infatigabilis cursor in dies singulos constanti more, universum mundum suo emetiretur circuitu, abs eo, quòd vel unico cursu sisteret momento, quin nec minimam sentiret lassitudinem; tam promptè tamque alacriter